

marmorum quodam fastu & picturæ magnificentia, sed æternis *Homeri* versibus a) Myrinæ, Amazoni, adornatum vidimus:

Ἔστι δὲ τις περὶ πύργου πόλιν αἰπὴν πολώνη,
Ἐν πεδίῳ ἀπένευθε, πείδ' ἔργου ἔνθα καὶ εἶτα
τὴν ἥτοι ἄνδρες βατίειαν κικλήσκουσιν,
Ἄθ' αἶν' αὖτοί τε σῆμα πολυσκάρβμοιο Μυρίνης,
Ἐνθα τότε Τρῶες τε διέκρινον ἠδ' ἐπὶ κρηι.

Solennis nimirum apud veteres consuetudo erat, ut homines meritis illustres, aut genere nobiles sub montibus sepelirentur. Cui mori obsequentes Amazones Myrinæ suæ, præstanti Bellatrici, sepulcrum sub colle excelfo posuisse apud Homerum dicuntur. Sic ipsa Myrina apud *Diodorum* b) cæsas quondam in prælio Amazonas tribus magnis aggeribus sepeliisse, memoratur; qui Diodori adhuc ætate Amazonum tumuli appellati sunt. Sic Hercules Pholum sub monte etiam post obitum condidit. *Quæres*, inquit *Diodorus* c) *ei gloriosior omni columna accidit.* Ab ipso enim mons absque ullo alio Epigrammate Pholos cognominatus fuit. Sic & Semiramidem tumulos sepeliendis Amasiis suis exaggerasse ex Ctesio refert Georgius Syncellus. Porro de Amazonum in Libya tumulis nummi testantur, quos ex *Seguino*, *Patino* aliisque in Libyæ urbibus *Peticus* d) commemorat. Et in Attica non pauca Amazonum monumenta reperta fuisse *Plutarchus* nobis Auctor est, qui in Theseo locum refert Athenis fuisse dictum Ἀμαζόνειον ab Amazonibus ibi eo sepultis tempore, quoq; armis in Atticam irruerunt. Megarenses eodem *Plutarcho* Autore Amazonum in suis etiam terris sepulcra ostendebant. Alias præterea idem circa Chæroneam sepultas tradit juxta rivulum quendam olim Thermodontem postea Hæmonem nuncupatum. Novum tandem nobis Amazonum monumentum juxta urbem Scotysæam in ea Thessaliæ parte sitam, quæ Pelasgia dicebatur, apud *Plutarchum* itidem indicatur. Hisigitur Amazonum, quæ apud veteres Auctores reperiuntur sepulcris admiranda earum virtus & animi magnitudo honosque iis habitis fatis superque declaratur.

§. XVI.

a) *Iliad.* β. b) *L. IV.* c) *L. V. c. 2.* d) *l. c. p. 258.*